



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Dispvtaones Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Dispvatio XXXII. De Deo, vt principio creaturarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)



## DISPUTATIO

## TRIGESIMA SECVNDA.

## De Deo vt principio creaturarum.

- Sectio I. *An quicquid præter Deum existit, ab ipso sit?*  
 Sectio II. *De modo emanationis creaturarum à Deo.*  
 Sectio III. *An Dei solius proprium sit creare?*  
 Sectio IV. *Quomodo creare conueniat Deo?*  
 Sectio V. *An Deus solus sit causa rerum omnium extra se existentium?*

**D**E argumento huius disputationis agit S. Thomas quæst. 44. & 45. In quarum priore docet 1. omnne ens, quodcumque est præter Deum, à Deo esse, quia solus Deus est ens per essentiam: cætera verò sunt entia per participationem.

Si quid autem inuenitur in aliquo per participationem necesse est causari ab eo, cui essentia hinc conuenit: sicut ferrum fit ignitum ab igne. Vide Arist. 2. Metaph. text. 4. dicit id quod est maxime ens, & maxime verum, esse causam omnis entis, & veri. 2. Necessarium esse materiam primam fuisse creatam à Deo: quippe qui est vniuersalis causa entium omnium secundum id omne quod pertinet ad illorum esse quocumque modo: adeoque non solum secundum quod sunt talia per formas substantiales, aut accidentales: sed etiam secundum materiam. 3. Deum esse primam causam, & exemplar rerum omnium: quia earum determinatio, ab intelligentia diuina procedit, suntque in eius sapientia rationes omnium rerum creabilium, quas Ideas vocamus. Possent tamen etiam in creatis quædam aliorum exemplaria dici: secundum quod quædam sunt ad similitudinem aliorum, vel secundum eandem speciem, vel secundum analogiam aliquius imitationis. 4. Deum esse primum finem æquè, ac primum agens rerum omnium. Agit enim, quidquid operatur ex intentione communicandi suam perfectionem, quæ est eius bonitas. Cum enim omne agens agat propter finem; alioquin ex actione agentis non magis inquireretur hoc, quam illud, nisi à casu: cumque agentium duo sint genera: vnum eorum, quæ simul agunt, & patiuntur, quæ sunt agentia imperfecta: alterum, quod tantum agit, & non patitur. Prioribus conuenit quòd etiam, in agendo intendant aliquid acquirere. Sed primo agenti, qui est agens tantum, non



conuehit agere propter acquisitionem alicuius finis: sed intendit solum communicare suam perfectionem, quæ est eius bonitas.

In posteriori quaestione docet 1. creare idem esse, atque ex nihilo aliquid facere, & nomine creatiois designari emanationem totius entis à causa vniuersali, quæ est Deus. Sicut autem quod procedit secundum emanationem particularem, non præsupponitur emanationi: vt, si generatur homo, non fuit prius homo, sed homo fit ex non homine, & album ex non albo: ita creatio, quæ est emanatio totius esse, est ex non ente: quod est nihil. 2. Non solum esse possibile à Deo aliquid creati: verum etiam necessarium esse dicere omnia fuisse à Deo creati: quia non ex aliquo præsupposito, sed ex nihilo fuerunt à Deo producta. Nihil enim potest esse in entibus, quod non sit à Deo, qui est causa vniuersalis totius esse. Et si Deus egisset ex aliquo præsupposito, sequeretur illud præsuppositum non fuisse creatum à Deo. 3. Creationem non esse in creatis, nisi relationem quandam ad creatorem, tanquam ad principium sui esse. Quia id, quod creatur, non fit per motum, vel per mutationem: quod enim fit per motum, aut mutationem, fit ex aliquo præexistente. At creatio non est productio rei ex aliquo præexistente, sed ex nihilo. 4. Creari esse proprium subsistentium. Cætera vero potius concreari. Creari enim est quoddam fieri: Fieri autem ordinatur ad esse rei. Vnde illis proprie conuenit fieri, & creari, quibus conuenit esse. Hoc autem proprie conuenit subsistentibus. Illi enim proprie conuenit esse, quod habet esse, & est subsistens in suo esse. Formæ autem, & accidentia, & alia eiusmodi, quæ non subsistunt, non sunt id quod est, sed id quo aliquid est: magisque sunt coexistentia, quam entia: ideoque magis debent dici concreata, quam creata. 5. Solius Dei proprium esse creare: quippe qui solus est prima, & vniuersalissima causa. Oportet enim vniuersaliores effectus in vniuersaliores, & priores causas reducere. Inter omnes autem effectus vniuersalissimum est ipsum esse. Ergo est proprius effectus primæ, & vniuersalissimæ causæ, quæ est Deus. Producere autem esse absolute, non in quantum est hoc, vel tale, pertinet ad rationem creationis. Vnde manifestum est creationem esse propriam actionem ipsius Dei: ita vt ne instrumentaliter quidem possit communicari ulli creaturæ. Quia causa instrumentalis non participat actionem causæ superioris, nisi in quantum, per aliquid sibi proprium dispositiue operatur ad effectum principalis agentis. Non potest autem creatura per aliquid sibi proprium dispositiue cooperari ad creationem: cum creatio non sit ex aliquo præsupposito quod possit disponi per actionem instrumentalis agentis. 6. Creare non esse proprium alicui personæ diuinæ, sed commune toti Trinitati. Quia conuenit Deo secundum suum esse, quod est eius essentia communis tribus personis. Addit autem in creaturis reperiri vestigium aliquod, aut similitudinem Trinitatis, & in operibus nature & artis non admisceri creationem, sed præsupponi earum operationi: quippe quæ agunt ex materia præsupposita. Quæ duo postrema sunt in textu facilia. Reliqua sequentibus sectionibus explicabuntur.



SECTIO I.

An quicquid preter Deum existit, ab ipso sit?

I. Conclusio affirmat. Probat. ex Script.



CONCLUSIO affirmativa est de fide: ut patet primo ex variis Scripturæ locis, quibus aperte traditur Deum vnicum esse, à quo cætera omnia, nullo excepto, sunt condita. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Ioan. I. Græcè ὁ θεὸς ὁ μόνος, id est, ne vnum quidem, vel ut habet textus Syriacus, sine ipso ne vnum quidem fuit, quicquid fuit. Item, Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia Roman. II. vers. ult. & Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Nec enim odians aliquid constituisti aut fecisti. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses: aut quod à te vocatum non esset, conservaretur? Sapient. II. in fine, Vbi nota I. pro eodem sumi, omnia à Deo facta, & omnia quæ sunt, scilicet extra ipsum. Nota 2. hæc & similia loca non ita debere intelligi, quasi tantum asserant Deum esse factorem eorum quæ sunt facta quomodocunque: sed simpliciter quod sit factor omnium quæ sunt, & non sunt Deus. Hoc enim sonant verba illa Ioan. I. Omnia per ipsum facta sunt, & alia citata: idque inculcant maxime ut recurrere nos doceant ad Deum vnicum, veluti conditorem & Dominum aliorum omnium: iuxta illud Esther I. vers. 12. Tu fecisti cælum & terram, & quicquid cæli ambitu continetur, Dominus universorum es. Imò negant expressè aliud, quidquam existere, nisi ex eius voluntate & effectione: Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses: aut quod à te vocatum non esset (id est iussu & imperio, vel efficacia voluntatis tuæ productum) conservaretur? Sap. II.

2. Probat. ex Concil. Iis.

Idem secundo tradit expressè Concilium Nicænum I. in Symbolo fidei, vbi pro primo articulo ponitur vnum esse Deum, factorem cæli & terræ, visibile omnium & invisibile: & Lateran. sub Innocent. III. cap. I. de Summa Trin. & fide Catholica, vbi in ipsa fidei professione affirmat vnum solum esse Deum, tres personas, vnum principium universorum, creatorem omnium visibilium & invisibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotentis virtute simul ab initio temporis & ex nihilo condidit creaturas, &c. Idemque confirmat cap. sequenti asserens essentiam diuinam esse vnum universorum principium.

3. Probat. ratione.

Accedit tertio ratio naturalis, quæ demonstrat necessarium esse dari aliquod ens à se, & illud esse vnicum, à quo sunt cætera omnia. Etenim omnino necessarium est aliquem esse productorem omnis entis ab alio. Et ille non est ens ab alio: ergo à se negatiue, id est, non ab alio, sed existens necessario ex vi suæ perfectionis essentialis. Pri-

ma pars antecedentis patet, quia omne ens ab alio, siue finitum illud sit, siue infinitum, id est, tota collectio entis ab alio, siue finita sit siue infinita, non habet in se principium sufficiens, quo tota extrahatur ex nihilo. Sicut ergo multitudo lapidum, siue finita, siue infinita, quia non habet in se principium motus sursum; eget motore extrinseco à quo sit motus origo: sic &c. Secunda pars etiam patet: si enim illud ens, à quo est omne ens ab alio, esset ens ab alio: esset à seipso, siquidem est id à quo est omne ens ab alio, ergo & ipsummet, si ipsummet est etiam ens ab alio, contentum intra latitudinem omnis entis ab alio. Iam illud ens non esse nisi vnicum, à quo proinde sint cætera omnia, probatur quia tale ens, hoc ipso quod est à se, est simpliciter infinitum. Ergo vnicum, continens perfectiones omnes illius naturæ, quæ alioqui in pluribus individuis diuisæ forent atque dispersæ. Vnde sequitur quicquid existit, aut esse illud ens vnicum à se existens, aut ab illo productum. Quæ de re plura diximus disp. 2. sect. 3. & 4. In hunc sensum interpretor quod ait D. Thom. qu. 44. art. 1. in corp. Quod est ens actuale seu existens tantum per participationem, debet esse tale ab ente per essentiam, id est, existente vi suæ essentiæ, cum formaliter, tum etiam fundamentaliter. At Deus solus est per essentiam, cætera vero per participationem tantum existunt: ergo &c.

Materia prima fuit à Deo creata.

Hinc collige primo etiam materiam primam fuisse à Deo creatam, ut docet Thom. q. cit. art. 2. quia illa quoque per participationem existit. Et cum sit formis substantialibus imperfectior: mirum esset formas non existere à se, ut experientia notum est: & tamen materiam existere à seipsa, quod signum est maximæ perfectionis. Item si à seipsa existere, cur tam exigua & cur ita determinata? cur non quanta esse potuit cum in iis quæ sunt à se, sic sit esse, & posse esse, quia necessariò sunt essentiali sufficientia, & absoluta necessitate existendi? Denique ut rectè D. Thom. art. cit. Deus non tantum causat entia creata inquantum talia vel talia sunt ratione formarum: sed absolute & totaliter inquantum entia, id est, secundum totum ius esse.

Nihil extra Deum esse potest non ab ipso productum.

Collige secundo, non modo nihil extra Deum esse non productum ab ipso, sed neque absolute esse posse. Tum propter illud Sap. II. Quomodo posset aliquid permanere &c. quia etiam de causa soli Deo tribuitur in Scriptura quod sit, & solus sit, fundamentaliter scilicet & à se, Exod. 3. & Iob. 4. Tum etiam quia vel id esset à creaturis iam productis, atque ita saltem mediata & remota à Deo: vel à seipso: idque vel casualiter: quod implicat, cum nihil à seipso produci possit, saltem productione prima, vel fundamentaliter: quod etiam implicat, quia quod est sibiipso sufficiens fundamentum existendi, necessariò existit: imò hoc ipso est ens à se, & Deus, summa necessitate existens. Quic-



quid aliter iam non existit : certe hoc ipso constat quod non existat necessario, ita ut non possit non existere. Ergo tale ens quod nunc re ipsa non existit, non potest existere à se ipso.

Colligèntid, errasse contra fidem & Philosophiam non modò Appelleitas, Manichæos, & Cerdonianos, ponentes duò prima rerum principia, alterum bonum, alterum malum : sed & Recentiores aliquos qui volùt dari spacia duo realia positiuè improducta, absolute necessaria & independentia. Alterum permanens & immensum, in quo Deus, & mundus, & cetera omnia localiter existant. Alterum fluens, & æternum, quod sit mensura, aut quasi mensura rerum omnium. Quæ duo spacia finguntur in aliter, ut ait D. Augustin. lib. 11. de ciuit. cap. 5. in fine, & sine vlla necessitate ponuntur, cum res qualibet seipsis formaliter existere possint, & durare eo modo quo durant & existunt, æquè ac illa spacia fictitia. Quorum etiam neutrum satis potest intelligi : & posterius vbinam sit, non potest assignari. Cur enim potius hinc quam illic? Immensum autem fingere vanum est: cum sufficiat vna veluti linea temporis æterni, ad effectum quem volunt, nempe ad mensurandas durationes rerum. Denique ficta illa spacia subtrahi non possunt dependentiæ & dominio Dei, sine iniuria ipsius, & sine Conciliorum præ citatorum ac Scripturæ restrictione voluntaria, seu potius temeraria deprauatione, affirmantium constantissimè atque vniuersalissimè Deum esse factorem omnium visibilium & inuisibilium : & ab initio temporis vitramque de nihilo condidisse creaturam, spiritalem & corpoream &c. nihilque esse, aut permanere posse, nisi ex ipsius voluntate.

Contra eandem quoque fidei veritatè errant nonnulli assertores quorundam complexè significabilium, quæ sunt esse vera entia, distincta realiter ab omnibus substantiis, & accidentibus, ac modis se habendi, & quorum vniuersa non pendeant à Dei libertate: nempe ea omnia quæ sunt de possibilibus, aut de impossibilibus, ut talibus: quorum veritas obiectiua est necessaria, & independentis à libertate diuinæ voluntatis. Quod inane argumentum refutabimus, om. 3. dif. 2. sect. 2. & 3.

Peccatum secundum naturam actus positiui, in quo fundatur denominatio malitiæ moralis & culpabilis, à Deo etiam est, ut concurrente cum voluntate: licet ab illo non producat talis actus eo modo quo ab ipso exurgit denominatio malitiæ culpabilis. Sumitur enim ex modo quo procedit actus à voluntate creata, libera contra debitum operante: non autem sicut exit à Deo concurrente secundum debitum causa primæ ad exigentiam causarum secundarum. At negationes siue possibilium, siue impossibilium, ut non existentia, sed non-entia seu negationes entis, actualiter aut possibilis: ita neque produci-

biles sunt. Nam negationes siue possibilium, ut v.g. plurium mundorum, quæ negationes sunt contingentes, quatenus ea quæ negant, possunt esse de facto: siue impossibilium, ut negatio plurium Deorum, non sunt proprie, neque fieri possunt. Quia non possunt accipere esse: sed consistunt in mero non-esse actuali vel possibili: id est, in eo quod ea quorum sunt negationes, non sunt, aut non possunt esse. Possibilia quoque, secundum esse merè possibile in seipsis formaliter, non producantur ut talia: quia non sunt, sed tantum possunt esse. Neg. etiam secundum esse quod habent in Deo, esse, inquam, cognitum in cognitione diuina, aut volitum in volitione, aut possibile in potentia, quod esse non est aliud, quàm ipsum esse cognitionis diuinæ, vel volitionis, aut potentia, quod tropicè & improprie tribuitur obiecto. Deus vero non est causa vt ipse cognoscat, velit aut possit: neque etiam vt possibilis talia sine antecedenter aut logice, per non-repugnantiam ipsorum intrinsecè in se recipi tamen debet, quod & possibilis, secundum suum esse possibile formaliter in se spectatū, contineatur eminenter in essentia Dei, velut radice totius possibilitatis creaturarum, in qua fundatur earum possibilitas, & à qua velut à prima causa & fonte totius esse, produci posse debet & accipere esse, quicquid aliud possibile est: vt notauimus disp. 22. num. 17.

Adde cum D. Thoma, art. 3. qu. 44. Deum non modò esse causam efficientem aliarum omnium rerum: sed etiam exemplarem, & primum exemplar. Siue quatenus reflexè inuenitur virtualiter & imitatur in operando cognitiones suas practicas, quæ sunt ipsemet Deus. Siue quatenus alias rationes suas essentielles directè cognitas imitatur, & creaturas illis assimilatur: non specificè quidem, sed analogicè, ut ait D. Thom. ar. cit. ad 1. vel etiam quatenus illa ipsa cognitio practica creaturarum, dirigens voluntatem & potentiam executiuam, est etiam eatenus, & citra vllam reflexionem, forma quam imitatur effectus ex intentione artificis operantis secundum illam: quod ad veram ideam rationem sufficere ostendimus disp. 2. sect. 4. Atque hinc illa rerum determinatio & dispositio pulcherrima, qualis cernitur in vniuerso, quam reducere necesse est vbi in primum principium, in sapientiam diuinam, quæ ordinem vniuersi excogitauit, in ipsa rerum distinctione præcipue consistentem, vt rectè ait S. Thom. art. 3. quæstionis citatæ.

Quod tamen non impedit, quin creaturæ sint aut esse possint exemplaria, non tantum creaturis operantibus, vt faceret ibidem S. Doctor: Verù etiam Deo vniuersam producenti ad instar alterius, hoc est, cum assimilatione specifica vel analogica à se intenta. Sic Christus est exemplar prædestinatorum, vt dicitur Roman. 8. v. 29. Eiusque mors, & resurrectio, est exemplar Baptismi, iustificationis, & resurrectionis nostræ à mortuis Roman. 6. & sequentib. Et Philip. 3. v. 21. Neque

Spacia imaginaria sunt fictitia.

August.

Materiale peccati non est sine concursu Dei.

MARTINUS  
IN  
D



contra D. August. lib. 83. quæstion. q. 46. sacrilegium vocans, sentire quod Deus extra se quicquam intueatur, vt secundum id res constituat. Loquitur enim de prima rerum productione, ante quam merito negat fuisse quicquam, quod Deus intuens, & imitans, mundum creauerit. Simili modo intelligendus est idem & alij Patres quando negant Deum alterius ministerio vsutum esse in mundo creando. Intelligunt enim de Angelis, aut similibus officibus: vel de principijs absolutis & improductis: contra Manichæos, Valentinos, & similes hæreticos. Alioquin verò docet Scriptura Genes. 1. & alibi sæpius, Deum causarum secundarum ministerio in multis vsutum esse, etiam in mundi creatione & opere sex dierum. Vt quando dixit Genes. 1. v. 11. *Germinet terra herbam viuentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum suum.* Germinet, inquit, nempe etiam effectiue, iuxta naturam suam conditionem & virtutem naturalem, quam Deum tunc impeduisse, aut deinceps impedire communiter, improbabile est.

die inducuntur. Pati autem, & perfici, & continuò mutari, alienissimum est à perfectione Dei, entis simplicissimi, & actus purissimi: Neque minus absurdum est, vt Deus rerum corporatarum, etiam vilissimarum, sit forma, & pars essentialis, vermium, pulicum, & similiarum. Attamen non omne munus materię vel formę Deo penitus repugnare docet mysterium Incarnationis, in quo hypostasis Verbi diuini habet rationem componentis, & perfectientis intrinsecè: non ex necessitate, vel indigentia, sed potius ex abundantia & sufficientia perfectionis, vti tractat, de Incarnatione dicitur.

SECTIO II.

De modo emanationis creaturarum à Deo.

Doctrina D. Thomæ hac de re, tota quæ ad duo capita præcipua reuocari potest. Primum, quo genere actionis creata omnia à Deo processerint, an creatione strictè sumpta, vel alia? Secundum, an & quomodo soli Deo conueniat creare?

Circa primum, D. Thom. art. 1. docet creationem strictè sumptam nihil esse aliud quàm productionem rei ex nihilo. Particula verò, *ex nihilo*, negat concursum subiecti siue causę materialis, ex qua eductiue concurrente res fiat: vt rectè exponit Suarez. Disp. 20. Metaphys. sect. 1. post. Anselm. in Monolog. cap. 8.

Hinc D. Thom. infert art. 2. tale genus actionis non solum esse Deo possibile: sed etiam planè necessarium esse, quæcunque præter Deum existunt, fuisse omnia ab ipso creata, proximè scilicet, vel remotè & fundamentaliter. Quatenus vel immediatè producuntur ex nihilo, id est, non ex subiecto præsupposito, vt Angeli, animæ rationales, & materia prima: vel si ex aliquo subiecto educuntur immediatè, vt accidentia & formę substantiales materiales: remotè tamen & fundamentaliter sunt ex nihilo, quatenus ipsum subiectum ex quo fiunt, fuit productum ex nihilo, id est, non ex alio subiecto præsupposito. Ad id confirmandum adducit S. Thomas se 308 contra illud Genes. 1. *In principio creauit Deus caelum & terram.* Quod interpretans Concil. Lateranense cap. 1. de Summa Trinit. 15. inquit, Deus suppl. ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, corporalem & Spiritalem, Angelicam & mundanam. Et eadem cum (vt rectè ait S. Thom. art. 1. & 2. in corp.) Deus sit effector rerum omnium extra se existentium, nulla prorsus excepta: & Deus nihil ex seipso tanquam ex subiecto produxerit, quia modus conueniendi subiectiue & materialiter, est imperfectus, ac Deo disconueniens: sequitur Deum fecisse aliquid ex non subiecto, ipsum saltem subiectum ex quo cepit effectio. Nam quod

11. Adde secundo, cum eodem D. Thomæ art. 4. Deum esse quoque causam finalem omnium, iuxta illud Proverb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, vel vt habet alia versio, operatur.* Ratio D. Thomæ est, quia cum omnis creatura sit participatio quadam diuinæ bonitatis, sui diffusiuæ; hoc ipso quod Deus vult agere, intendit suam bonitatem, non vt acquirendam, sed vt communicandam creaturis quas producit. Confirmatur, quia Deus in omnibus suis operibus intendit primò & principaliter id quod optimum est, quod est sui ipsius bonitas. Vt enim rectè ait Aristoteles 1. Ethic. cap. 7. *Maius bonum magis seipsum expetendum est.* Et vniciusque agentis finis ille debet esse propositus, qui est optimus. Deo autem nihil melius est: & ipse sapientissimè rectissimèque ordine omnia operatur. Ergo &c. Eamque ob causam S. Dionys. cap. 4. de diuin. nom. parte 1. in fine, dicit amorem Dei esse circulare: quatenus Deus ex sui bonitate primariò dilecta, diligit creaturas: & has tenet in suam bonitatem & laudem referre. Quod tamen non ita intelligendum est, quod Deus alios quoque fines intendere nequeat, omnia tandem ad seipsum, per intentionem superiorem, velut ad finem vltimum referendo. Omnia enim propter electos aliquo modo sunt condita, vt ait Scriptura: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* 1. Cor. 3. v. 21.

12. Causalitas verò materialis, & formalis, propter suam imperfectionem Deo tribui nequeunt. Important enim necessariò rationem incompleti & perfectibilis. Ac si Deus esset causa materialis rerum omnium, sicut est efficiens, exemplaris, & finalis: continuò reciperet, periretur, & pateretur multas formas quæ in materiam, quoti-

13. Dicitur ad duo capita præcipua reuocari potest. Primum, quo genere actionis creata omnia à Deo processerint, an creatione strictè sumpta, vel alia? Secundum, an & quomodo soli Deo conueniat creare? Circa primum, D. Thom. art. 1. docet creationem strictè sumptam nihil esse aliud quàm productionem rei ex nihilo. Particula verò, *ex nihilo*, negat concursum subiecti siue causę materialis, ex qua eductiue concurrente res fiat: vt rectè exponit Suarez. Disp. 20. Metaphys. sect. 1. post. Anselm. in Monolog. cap. 8. Hinc D. Thom. infert art. 2. tale genus actionis non solum esse Deo possibile: sed etiam planè necessarium esse, quæcunque præter Deum existunt, fuisse omnia ab ipso creata, proximè scilicet, vel remotè & fundamentaliter. Quatenus vel immediatè producuntur ex nihilo, id est, non ex subiecto præsupposito, vt Angeli, animæ rationales, & materia prima: vel si ex aliquo subiecto educuntur immediatè, vt accidentia & formę substantiales materiales: remotè tamen & fundamentaliter sunt ex nihilo, quatenus ipsum subiectum ex quo fiunt, fuit productum ex nihilo, id est, non ex alio subiecto præsupposito. Ad id confirmandum adducit S. Thomas se 308 contra illud Genes. 1. *In principio creauit Deus caelum & terram.* Quod interpretans Concil. Lateranense cap. 1. de Summa Trinit. 15. inquit, Deus suppl. ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, corporalem & Spiritalem, Angelicam & mundanam. Et eadem cum (vt rectè ait S. Thom. art. 1. & 2. in corp.) Deus sit effector rerum omnium extra se existentium, nulla prorsus excepta: & Deus nihil ex seipso tanquam ex subiecto produxerit, quia modus conueniendi subiectiue & materialiter, est imperfectus, ac Deo disconueniens: sequitur Deum fecisse aliquid ex non subiecto, ipsum saltem subiectum ex quo cepit effectio. Nam quod

DDd 4

13.

D. Thom.

Creatio proprie quid sit

14.

Fuit necessaria in mundi productione.

Lateran.



Deus primum fecit, non fecit ex subiecto. Alioquin subiectum iam factum esse debuisset, quod implicat. Item ex entibus creatis multa sunt, ut Angeli, animæ rationales, & materia prima, quæ ex subiecto fieri nequiverunt. Et omnis actio productiva quæ non est creatio, supponit creationem, atque ipsius terminum, in quo & circa quem exercetur quoddammodo. Estque omnino impossibile in educationibus naturalibus procedi in infinitum, ita ut omnia educantur ex alijs, & nihil sit ex quo non educatur cætera educantur: & in quo non sustentato, neque ininente alteri subiecto, cætera inveniuntur, atque illstrandem ultimum insistant. Neque minus impossibile est omne ens esse aut esse in alio: quam esse ab alio. Quare non minus necesse est dari primum subiectum, quam dari primam causam efficientem. Primum autem subiectum non potuit fieri nisi per creationem. Si enim factum esset ex alio subiecto præsupposito, non esset primum, sed illud aliud quod supponit, & ex quo fit. Quod autem dicitur de Deo Roman. I. v. ult. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*, significat tantum Deum esse fontem totius esse creati, ex quo cætera emanant, non tamen ut ex causa materiali.

15. Attamen quod non omnia per creationem subiecte sumptam immediate extiterint, patet ex Sap. II. *Creavit orbem terrarum ex materia inuisibili*. Quibus verbis significatur Deum orbem terrarum, id est, cælos, & corpora elementaria, & mixta, creasse, latè, id est, produxisse, ex materia naturæ saltem ordine prius creata, & per se quidem inuisibili & informi, Dei tamen beneficio formata & illustrata. Item ex Genes. I. constat Deum multa fecisse concurrentibus causis secundis, quibus semen creandi virtus negatur ab omnibus, ut videbimus sect. sequenti.

16. Ex definitione creationis in titulo proposita collige potest esse quod S. Doctor tradit q. 45. art. 3. creationem, formaliter non esse aliquid in creatura distinctum ab ipsa. Etenim si sermo est de creatione activa, seu creare, ita est in Deo creante, non in creatura: nihilque est aliud, quam usus & exercitium virtutis creaturæ, prout seipsam exercet, & perit extra se effectum ex nihilo. Si generatim actio productiva nihil est aliud, quam usus & exercitium virtutis productivæ ut ponentis effectum: hinc est virtus ipsa productiva vel se exercens & impendens in id quod producit. Creatio vero passiva seu creati, dicit tantum rem que ex nihilo fit virtute creantis: in qua præter virtutem creantis extrinsecam, & ipsam rem per illam existentem, non est aliquid intermedium distinctum, sed est tantum res ex nihilo existens, quæ pendet & est per se ipsam à Deo: sicut & Deus per seipsum est causa ut res existat. Ac generatim fieri cuiuscunque rei, nihil est aliud præci-

se & formaliter, quam res ipsa quæ fit, prout fit & accipit esse à causa. Fit autem ipsa formaliter secundum se, & accipit esse secundum se, & non secundum aliquid aliud: tendetque intem se tota à causa, quia se tota intem est ens ab alio. Adde quod si creatio passiva esset aliquid re distinctum in creatura, putà modus aliquis, iuxta Suarezem & multos alios: vel esset prius quam res creata, vel simul, vel posterius. Si prius: non est ex creatura. Quia id quod est ex aliquo, præsupponit id ex quo est. Neque potest esse modus creaturæ: quia modi, per aduersarios, sunt ex re modificata, cui tam innixi & affixi sunt, ut sine illa esse non possint, ne de potentia quidem absoluta. Si vero est posterius: ergo res creata intelligitur prius constituta in esse actuali, ac proinde producta prius & creata. Neque enim primum esse actuale rei existentis non à se sed ab alio, intelligi potest existere sine productione. Si denique simul: ergo res creata fit & pendet immediate seipso, & autem mediante creatione distincta, quæ intermedia pendet & exeat à creatore: de qua etiam merito queri posset quomodo exeat immediate à Deo sine alia creatione prævia, magis quam ipsa res creata?

17. Notandum tamen quod sicut Deus non dicitur creans, nisi importandorem vi ipsius existentem ex nihilo: ita res non dicitur creata nisi importando virtutem diuinam, per quam existit. Et quemadmodum Deus dicitur creans per aliquam relationem ad effectum creatum: sic creatura dicitur creata per habitudinem ipsius ad Deum ut creatum. Quo sensu accipe doctrinam D. Thomæ q. 45. art. 3. in corp. ubi ait creationem ponere aliquid in creato secundum relationem tantum: & creationem in creatura, non esse nisi relationem quandam ad creatorem, ut ad principium sui esse.

18. Collige secundo, id quod idem S. Doctor affirmat art. 4. eiusdem quæst. creati esse proprium compositorum & subsistentium, non esse intelligendum hoc sensu, quod omnia composita, & omnia subsistentia creantur. Hoc enim non est verum formaliter & proprie, sed tantum denominatione & appropriatiue de compositis & subsistentibus constantibus forma physice. Quæ materia vel subiecto, cuiusmodi sunt omnia composita accidentalia ex substantia & accidentibus physico: & omnia composita substantia ex materia & formis materialibus: & omnia subsistentia creata, in opinione eorum, qui putant subsistentiam creatam esse modum physice distinctum à substantia, & ab illa manantem ex seipsa. Nam proprie loquendo neque composita creantur, neque illa subsistentia ut talia: quia formæ illæ in rei veritate, & iuxta illorum opinionem, subsistentiæ, quibus composita & supposita formaliter constituuntur, educuntur physice ex aliquo subiecto vera actione productiva. At creatio est productio ex nihilo, id



est non ex subiecto. Non tamen obest natura creationis quod res, quæ creatur, constet multis partibus unitis, ut materia prima: dummodò partes illæ, & quicquid in re illa productum est, sit productum ex nihilo subiecti. At vnio non producitur, si, ut verum esse existimo, non distinguitur in re à partibus unitis simul sumptis. Neque vnire præcisè est creare, quia non est producere, sed tantum modificare. Omnis autem creatio est productio. Et ut distinguitur ab educatione, sufficit quod sit productio sui termini ex nihilo subiecti, id est, sine vilo subiecto, ex quo educatur.

19. Non reputat creationem fieri in aliquo  
Collige tertio, non officere rationi creationis, si in aliam fiat in aliquo tanquam in recipiente, vel in toto; in modò tamen non fiat ex illo ut subiecto. Nam definitio allata & communiter recepta id tantum exigat ut res fiat ex nihilo subiecti. Et anima rationalis verè ac propriè creatur, quæ tamen fit in corpore. Quis etiam recipere sustentando & fulciendo formam, non idem est atque esse id vnde forma educitur, aut ex quo fit: sed potius est dare sustentaculum formæ, quam dare originem formæ. Quare si aliquid fiat inhærens subiecto, & ab eo sustentetur, quò tamen in eo non fit virtute contentum, atque ex eo non educatur re ipsa (ut de gratia sentium Nominales respectu animæ rationalis) illud eareus creatur: quia licet in subiecto fiat: non tamen ex subiecto. Aliud autem est formam fieri ex subiecto: & aliud, vniri subiecto. Et quoquo modo fiat, siue per creationem vt anima rationalis, siue per educationem vt cæteræ formæ substantiales sunt connaturaliter; prius natura fit, quam vnitur subiecto: quia prius natura est, quam exerceat vsum suæ vnibilitatis. Et sicut potest vniri subiecto ex quoeducta non fit: ita potest non vniri subiecto ex quoeducta fit. Neque enim idem est esse ex, & inesse. Sed quemadmodum forma secundum idem esseeductum ex subiecto potest separari à subiecto, vt fit in formis accidentalibus panis & vini Eucharistici: ita secundum idem esseeductum ex subiecto, potest esse primò & conferuari deinceps, sine vnione & inhærentia in subiecto.

Formæ prius natura sunt, quam vniantur subiecto.

hr. 3. Tu creasti omnia. Apoc. 4. quæ tamen sine Ecclesiæ interpretatione & traditione non sufficerent. Possent enim aliter explicari, quod omnia quidem, sed non solus creauerit: sicut certum est non solum omnia produxisse, sed multa causis secundis concurrentibus. Intelligenda tamen sunt iuxta Ecclesiæ sensum & traditionem, vt de Deo singulariter dicta citra consortium vilius concreantis. Cuius traditionis testes antiquissimi sunt Iren. Tertul. Athan. Basil. Cyrill. Alexand. August. & alij à Valentia relati disp. 3. punct. 4. Qui contrarium asserentes pro hæreticis habent. Damascen. quidem de Angelis sic loquitur lib. 2. de fide cap. 3. in fine, Quorquor autem sunt qui essentiam vllam: quæcunque tamen illa sit, ab Angelis præcreatam esse concordant, horum ore pater ipsorum diabolus loquitur. At qui si tanta vis vlli creaturæ competeret: maximè Angelis, creaturis nobilissimis. Simili modo argumentatur D. Thomas art. cit. 5. sed contra, vbi relato D. Augustini testimonio ex lib. 3. de Trinit. cap. 8. affirmantis, neque bonos, neque malos Angelos posse esse creatos: alius cuius rei: concludit, multò minùs igitur alias creaturas.

Valentia.

Damasc.

Vnde secundò infero nullam esse creaturam non modò non creasse re ipsa, sed neque etiam ad creandum connaturalem vim habuisse. Deus enim potentias naturales, quas creaturis ad operandum dedit, non priuatè cõmuniter & vniversaliter exercitijs & operationibus, quas naturaliter habere aptæ sunt. Ergo si nulla creatura creauit, signum est nullam habere vim naturalem ad creandum. Confirmatur, quia nullum apparet vestigium tantæ virtutis creaturis concessæ, & connaturaliter debita. Omnes enim causæ secundæ nobis notæ nihil produciunt nisi ex subiecto. Imò non tantum ab illo pendent: verum etiam à dispositione vel aptitudine. Longè autem abest ab hac dependentia virtus creatiua, quæ penitus ex nihilo subiecti producit. Ergo cum omnes creaturæ nobis notæ, in omni suo operandi modo nobis cognitæ, habeant conditionem tam alienam à virtute creandi: fictitium est eam illis tribuere. Alias verò præter nobis notas, quibus id competat, sine vilo fundamento asserere, aliquid à ratione est.

21. Nulla creatura habet vim creandi.

SECTIO III.

An Dei solius proprium sit creare?

22. D. Thom. Dei solius proprium est creare.  
Circa secundum caput initio sectionis præcedentis propositum, D. Thomas q. 45. art. 5. affirmat Dei solius esse creare, ita vt nihil aliud, præter Deum, quidquam propriè creauerit. Idemque docent communiter Theologi, & tanquam certum fide diuina tradunt, atque ad eius confirmationem hoc & similia Scripturæ testimonia proferunt: Qui creauit omnia Deus est, H.

22. Addo tertio, ita solius Dei proprium esse creare, vt vis creandi non possit vlli creaturæ vel existenti, vel possibili communicari, siue naturaliter, siue etiam obedientialiter. Ita communis sententia Theologorum, cui patrociantur sancti Patres: vt Basil lib. 4. contra Eunom. vbi probat filium esse verum Deum, quia creare potest. Et Athanas. sermone 3. contra Arianos vbi sic habet: Administrare creaturarum, & seruum est: condere autem atque creare, solius Dei, & Verbi eius, & sapientia. Et Cyrill. Alexandr. lib. 2. contra Iulian. longè ante finem, vbi docet creare esse proprium solius

Ac ne obedientialiter quidem habere potest. Basil.

Athanas.

Cyrrill.



summa substantia. Et hoc, inquit, maxime contra diuinam gloriam militat, etiam alios putare posse creare, & ex nihilo producere. Non enim fas est dicere, quod ea quae diuina ineffabili natura propria & eximia sunt, naturaliter possint inesse quibusdam ab ipsa factis. Cogens autem illi, & soli, & ad summam pertinet gloriam eius res illa. Nam inaccessa natura sunt, sicut dixi nuper, ea quae proprie sunt solius & omnium summae substantiae: quorum quum esse dicimus, efficaciter operari posse ut creatorem, & producere res quae aliquando non erant.

Confirmat ex Script.

Ad idem confirmandum valent & Scripturae loci, quae supponunt ex ipso vniuersi conspectu apparere Deum velut immediatum & proprium ipsius creatorem, Iob 12. v. 7. & Cap. 28. vsque ad 42. Psal. 18. & 113. Sap. 13. Isa. 40. v. 12. & sequentibus. Actor. 14. v. 14. Roman. 1. v. 19. Verba Iob capite cit. haec sunt: Interroga iumenta, & docebunt te: volatilia caeli, & indicabunt tibi. Loquere terra, & respondebit tibi: & narrebunt pisces maris. Quis ignorat quod omnia haec manus Domini fecerit? Quibus vltimis verbis Iob significat Deum manu propria, id est, immediate haec omnia fecisse. Idque ex iisdem rebus creatis tam notum est, atque conspicuum, ut nemo quamuis discursuum metaphysicorum ignarus, possit hoc ignorare. Si autem possibile esset alium praeter Deum creare hoc vniuersum: non ita innotesceret ex ipso vniuersi aspectu Deum immediate haec omnia creasse. Neque aliunde possemus id certum habere, quam ex reuelatione. Ergo supponit Scriptura lumine ipso naturali certum esse non potuisse hoc vniuersum ab alio, quam a Deo creari: idque ex ipso vniuersi aspectu posse omnibus innotescere, absque lumine fidei & ope diuinae reuelationis. Quare supponit pariter nullam esse creaturam, vel possibilem esse, quae creare possit.

Occurrit obiectio.

Dices hoc secundum non bene inferri: quia licet aliqua creatura non modo possit concurrere, sed etiam de facto concurrisset cum Deo ad creandum vniuersum: verum adhuc esset Deum esse immediatum vniuersi creatorem, quod solum supponit Scriptura. Respondeo primo, Scripturam aliquot locis ante statum inferre Deum esse Deum, ex eo quod vniuersum creauerit, ac per hoc solum manifestasse sufficere se esse Deum. Quod verum non esset, si aliquid aliud quod non sit Deus creasset, aut creare posset. Secundo dico non esse certum aut euidens impossibilem esse creaturam quae non ageat immediato Dei concursu ad agendum quicquid agere potest; quam impossibilem esse creaturam quae creare possit. Quare si hoc secundum non est certum primum non potest pro certo assumi. Atque ita certum quoque non erit impossibilem esse creaturam quae potuerit se sola immediate vniuersum creare. Quod tamen esse naturaliter certum supponit Scriptura.

Instabis quia, dato quod impossibile sit creatura quae vniuersum creare possit, non sequitur esse impossibilem quae aliquid aliud minus perfectum & minus operosum creare valeat. Respondeo si possibilem esset creatura, quae vel vnum quid creare posset, eadem virtute posset vniuersum, & quidlibet aliud creare. Causa enim quae tam independenter operatur, ut nihil supponat praeter rei possibilitatem: extendit se vniuersalissime ad omnia, quae habent possibilitatem essendi per creationem. Sicut virtus intelligendi independens ab omni medio cognoscendi, & a concursu obiecti, attingensque obiectum eo solo quod intelligibile est, & nihil aliud requirens, quae ut sit intelligibile; extendit se ad omnia intelligibilia: ita ut nihil intelligibile sit, quod intelligere non possit, eo omni modo, quo est intelligibile. Adeoque virtus illa est infinita: quippe quae valet ad omnia possibilia, quae infinita sunt.

Atque hinc prima sumitur ratio naturalis ad probandum impossibilem esse creaturam, quae creare possit. Nulla enim est possibile creatura quae possit quamlibet aliam possibilem creare. Cum data qualiter creatura, possibile sint supra illam aliae infinitae perfectiores & perfectiores in infinitum, sed est omnino improbabile euidenterque impossibile, creaturam illam habere vim naturalem ad illas omnes creandas: illas, inquam, omnes, etiam perfectiores se praese in infinitum: cumque sit limitatae entitatis, & perfectionis atque virtutis, habere tamen vim illimitatam, omnipotentia diuinae parem in extensione: ita ut valeat ad creandum quicquid Deus creare potest, etiam seipsam mediate, nempe mediante alia perfectiore prius a se creata: imò & immediate, nisi requireretur distinctio realis inter producens & productum. Si autem valeret ad quiduis creandum, valeret etiam ad quiduis educendum, immutandum, aut aliter efficiendum in genere causa efficientis. Ex quo sequeretur creaturam illam parem Deo in omnipotentia, debere quoque parem esse in intelligentia, & voluntate, aliisque omnibus attributis omnipotentiae commensis, hoc vno excepto, quod non esset ens a se. Quod euidens non minus est absurdum, quam posse dari duos ignes pares in omnibus, excepto quod vnus essentialiter est ens ab alio, alter est ens a se.

Addunt aliqui, ad creandum requiri virtutem infinitam. Quod probant primo, quia quanto magis potentia distat ab actu: tanto maior virtus requiritur. At potentia rei producibilis ex nihilo, distat infinite ab actu. Ergo requiritur infinita virtus agentis. Haec autem est propria solius Dei. Ergo & virtus producendi ex nihilo. Secundo, quia ad educendum ex potentia remota, plus virtutis requiritur, quam ad educendum ex materia proxima. Ergo ad producendum ex nulla potentia, nempe ex nihilo,



requiritur infinita virtus. Hac autem est solus Dei. Ergo &c.

Sed hæc ratio, sic proposita, non est evidens: quia non constat quod virtus quomodocunque infinita, sit propria solius Dei, & creaturæ incommunicabilis. Deinde, quamvis in seipsa verum sit, & à nobis ante probatū, requiri ad creandum virtutem simpliciter infinitam & vniuersalissimam, creaturæ incommunicabilem: rationes tamen quas isti proferunt, non bene probant ad creandum aliquid finitum requiri necessariò virtutem infinitam.

27. Ad primam enim responderi potest, non esse verum quod inter non-esse rei quæ est in potentia obiectiua, & esse actuale illius, sit distantia infinita. Vnde quodque enim distat formaliter à nihilo, per id quod est. Per id enim quod est, non est nihil. Ergo si id quod est, finitum est: distat finitè à nihilo. Esse autem actuale rerum iam creatarum finitum est: Ergo finitè distat à nihilo. Item, si esse actuale effectus distat infinitè ab eius esse potentiati, vt aduersarij supponunt: ergo etiam esse actuale causæ creatæ distabit infinitè à suo esse potentiati: atque ita pariter superabit distantiam inter non-esse & esse effectus sibi similis, aut ignobilioris. Vtteriùs, si res ex nihilo creabilis distat infinitè à suo non-esse: ergo etiam res ex subiecto producibilis infinitè à suo distabit. Et tamen causæ creatæ hanc distantiam superant, quando educunt tales effectus. Ergo ad illam quoque superandam non requiritur ex parte distantia, vis creaturæ capacitatem superans. Denique concursus quem exhibet materia creaturis educentibus, finitus est. Quid ergo est opus infinita virtute ad supplendum eius defectum? aut cur non potest suppleri à Deo efficienter; concurrente tamen creatura ad effectum, vt si educeretur.

28. In secunda probatione æquiuocatio est. Nam in antecedente particula, *Ex*, significat habitudinem causæ materialis, eiusque concursus. In consequente verò, significat nihil subiecti seu causæ materialis, & habitudinem tantum termini à quo. Non debet autem seruari proportio & incrementum proportionale virtutis ad producendum ex subiecto, & ad producendum sine subiecto: cum vis seruetur inter subiecta, ita vt quod sunt magis inepta, aut minus disposita: plus virtutis requirant.

29. Alias probationes ex Scoto, Ocasio & alijs refert Suarez disp. 20. Metaphyl. sect. 2. ostenditque eas non plenè satisfacere. Ipse verò num. 12. & 13. aliam addit vt suam, meo iudicio infirmam & obscuram. Est enim valde incertum & obscurum, id, quod ipse supponit, omnes gradus possibile entium extare in rerum natura. Quamquam enim vix alios imaginari possumus: quia nostra cognitio pendet ex effectis, & omnipotentia diuinæ recessus perspectos non habemus: tamen incredibile est vniuersum hoc adeo esse perfectum, vt perfectius produci nequiverit, secundum species & genera & gradus alios infinitos rerum, quibus magis ac melius participetur essentia diuina, infinita simpliciter in omni genere perfectionis, & infinitè participabilis. Omnis ergo his rationibus, sufficit alia primo locè allata num. 24. & 25. quam puto certò conuincere. Et addo, licet nulla ratio euidenter conuinceret: sufficere deberet auctoritas, præsertim in agendj modo tam difficili & tam uolimi, vt penè caput humanum superet, & lumen naturale iudicet, ac pro certo habeat ( vt supponit Scriptura locis citatis num. 22. ) soli Deo, primæ & vniuersalissimæ causæ, & primo enti competere, in cuius solius efficacitate continentur res vt ex nihilo producuntur. Aliud autem est non ostendi repugnantiam aut non perspicere: & aliud, non esse. Et ad destruendum aliquid, non satis est non videre repugnantiam, præsertim si res per se incredibilis sit.

Adde præterea, non tantum naturaliter, verum etiam obedientialiter, non posse vllam creaturam creare. Quam secundam partem licet Suarez, disp. cit. sect. 3. & quidam alij negent absque fundamento satis probabili ( nam quæ ad id probandum assunt de vi physica Sacramentorum, ad gratiam producendam, de vi verborum consecrationis ad producendum physicè corpus & sanguinem Christi in Eucharistia, de concursu physico & immediato Beatæ Virginis ad vnionem hypostaticam, & similibus, non sunt vera, vt ostendemus suis locis ) communiùs tamen affirmant alij cum D. Thom. cit. & alijs à Vasque relictis disp. 176. cap. 2. Primò, quia testimonia Patrum allata num. 22. id docent, quando vniuersaliter & absolute, ac sine vlla exceptione pronunciant, solius Dei proprium esse creare: & necessarium esse, vt qui potest creare sit Deus. Secundò, quia creatura, quæ posset obedientialiter eleuari ad creaturam, debet habere vim innatam, quæ posset eleuari, & cum Dei concursu ordinario ac supernaturali producere effectum ex nihilo. Nisi enim ipsa physice agat, sed Deus solus non eleuatur ad creaturam & concurrerit physice: adeoque non creat physice. Debet ergo illi inesse vis creata, quæ possit physice creare cum Deo concurrente supernaturaliter. Si autem est vis ad vnum aliquid creandum, est ad omnia creabilia, vt ostendimus num. 24. Atqui est incredibile vim vllam creatam valere ad omnia creabilia: cum data qualibet vi & entitate creata, possint dari supra illam nobiliores & nobiliores in infinitum. Quod æque verum est de virtute obedientiali ac de naturali. Illa enim, æque ac ista, finita est simpliciter: cum sit ipsamet entitas creaturæ, vt potens concurrere cum Deo auxilio supernaturali. Si autem virtus illa est simpliciter finita: non valet ad omnia quæ sunt creabilia in infinitum in quocunque genere entis, neque tantum

30. Probatum ratione, non posse obedientialiter eleuari creaturam ad creaturam.

Valq;



extenderi potest, quantum ipsa Dei omnipotentia. Recolantur quae diximus disp. 7. de visione Dei, num. 11. & 12.

SECTIO IV.

Quomodo creare conveniat Deo?

31. D. Thom. Actio creandi est communis toti Trinitati.

Respondeo cum D. Thoma q. 45. art. 6. creare non esse proprium solitarie alicuius personae divinae: sed virtutem & actionem creandi esse communem toti Trinitati. Ratio est, quia convenit illi secundum naturam suae essentiali communem, quae ratione est potentia effectiva, quae non minus essentialis est Deo, quam potentia intellectiva, & volitiva. Hinc est quod sacrae Literae opera creationis tribus personis communiter tribuunt, Ioan. 5. v. 19. Prouerb. 8. v. 3. Iob. 26. v. 13. & alibi sapissime: ut eleganter expendunt S. Dionys. cap. 1. de divinis nom. & D. August. lib. 1. de Trinit. cap. 4. & quatuor sequentibus. Hinc etiam illud axioma Theologorum, Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. Sumptum ex Toletano VI. cap. 2. & Toletano XI. in confessione fidei, ubi de tribus personis affirmat, nullam sine alia vel extitisse, vel quidpiam aliquando operatam esse. Inseparabiles enim inveniuntur & in eo quod sunt, & in eo quod faciunt. Et priori loco dixit totam Trinitatem cooperatam esse formationem suscepti hominis (id est, Christi) quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis. Intelligit effectivè: Nam terminativè, & unitivè, ac veluti passivè, susceptio illa hominis, seu potius humanitatis per Incarnationem, non fuit communis Trinitati, sed solius Verbi. Efficienter tamen omnium fuit.

32. Valent.

Vnde collige primò, improprie loqui Valentiam disp. 3. q. 2. punct. 3. aicntem creaturas procedere à personis divinis secundum proprietates personales. Neque enim procedunt à proprietatibus personarum secundum se proprie: sed secundum essentialia & communia, in quorum ratione personalia non sunt formaliter ut talia. Ideoque Lateranense cap. Firmiter, definit Patrem, Filium, & Spiritum S. esse unum universorum principium. Pater autem, ut Pater, & Filius, & Spiritus S. ut tales, non sunt unum, sed tria. Ergo non ut tales, neque ratione proprietatum, sunt principium creaturarum; sed ut Deus, & secundum essentialiam, quae sola est universorum principium, ut aicntem Concilium cap. sequenti.

33. Non potest esse propria eius personae divinae.

Collige secundò, non modo creaturas non procedere re ipsa à personis ut talibus, sed nec posse procedere. Ratio est, quia non sunt formaliter potentia executiva, quae est principium processionis creaturarum. Neque obest quod paternitas sit principium Filij, qui est infinite perfectior creaturis. Non enim quicquid potest producere aliquid perfectius, potest producere quae sunt in

alio genere imperfectiora. Vt homo qui potest producere hominem, non potest producere aquilam.

Collige terriò, Henricum quodlib. 6. q. 2. perperam affirmare Patrem, ex parte intellectus, produxisse creaturas per filium, siue per sapientiam productam: & ex parte voluntatis, per Spiritum S. siue per amorem productum; ut per principium formale proximè eas liberè producendi: quippe filium esse Patri notitiam practicam, quae formaliter intelligit quid faciendum sit: Et Spiritum S. esse volitionem efficacem, quae efficere velit quidquid efficit. Quae sententia satis refutata manet ex dictis disp. 22. sect. 1. ubi ostendimus, praeter intellectum & voluntatem, admetendam esse in Deo potentiam executivam, per quam immediatè operatur ad extra, praesente intellectu & volitione communi. Et disp. 24. sect. 4. ubi demonstravimus Filium & Spiritum S. non esse actus formales intelligendi & volendi, quibus Pater aut Deus intelligat & velit: sed esse terminos productos ab eorum fecunditatibus. Omnino autem ita sentit Henricus, neque eius verbis appè contenit benigno interpretatio Vasquis in commentario art. 6. q. 45. affirmans illum nihil aliud voluisse, quam quod sanctorum Patrum nonnulli volunt; cum iunxit Patrem creasse per Verbum, aut per Filium: & Verbum Patri ministrasse in creatione: & Patre iussisse, Filium fecisse. Quibus locutendi modis non aliud significare intendunt, quam rationem originis, per quam virtus creandi; & quidquid aliud convenit Filio, acceptum est à Patre: ut seipsum & alios exponit S. Basil. lib. de Spiritu S. cap. 8. Aliud, inquam, plane voluit Henricus: Nam expressè ait, Notitiam & amorem, secundum quod sum praecedentes, esse rationes secundum quas creaturae producuntur in esse: ita quòd, inquit, productio creaturarum praesupponit causaliter productionem personarum: non quia à tota Trinitate, & ita ab ipsis personis productis; productum creaturae secundum genus causa efficientis: sed quia sapientia & amor producti, sunt rationes in intellectu essentiali & voluntate Trinitatis, dispositivae & ordinativae ad creaturarum productionem secundum genus causa formalis: sine quibus intellectus & voluntas essentialis, cum sapientia & amore essentiali, non sufficienter disponerent intelligentes & volentes ad ipsas creaturas producendas. Sapientia enim ut est essentialis, est tantum speculativa: ut verò personalis, siue genita in Verbo, est etiam practica &c. Haec ibi Henricus, & alia multa, quae praedictam expositionem ferre non possunt.

Collige quariò, non esse verum quod docent Cuniga disp. 11. de Trinit. dub. 4. num. 7. & Ruis disp. CXI. de Trinit. sect. 2. & sequentibus, creaturas per se causaliter procedere à Deo, ut trinus est, adeò ut creatio per se postulet naturam divinam existere in tribus.

Henric. Quo sentit Pater creavit per Filium, aut per Spiritum S. &c. infra num. 44.

Valp.

Basil.

35. Cuniga Ruis Creatio per se non postulat trinitatem divinam.



36. *Creatio per se non postulat tria supposita diuina.* tribus suppositis: & tres personæ diuinæ sint per se requisitæ ut Deus creet & operetur extra se. Quod probat Cunigahac vnica ratione. De essentia creationis est esse ab omnipotentia diuina. Ergo & ab omnibus suppositis connaturalibus omnipotentia: ita vt si ab aliquo non esset per locum intrinsecum foret diuersa rationis ac nunc est. Nam productio procedens ab aliqua vi producendi, per se procedit à supposito connaturali prædictæ virtutis. Suppositum verò connaturale omnipotentia est triplex. Ergo creatio per se petit tria supposita à quibus procedat.

Respondet negando primam consequentiam. Ad cuius probationem, dico productionem præcedentem ab aliqua vi producendi, non procedere per se à supposito eius connaturali, quia suppositum est: ita vt ratio suppositi sit causa per se operationis: aut ex vi operationis requiratur per se ac necessarium, adeo vt operatio non esset futura simpliciter, aut non esset futuræ talis, si re ipsa, vel per locum intrinsecum non esset ratio illa suppositi: sed tantum procedere per se ab ipsa virtute operandi, quæ demummodo existat, siue in supposito connaturali, siue non, perinde operatur. Quemadmodum humanitas Christi existens in Verbo, perinde exercet actiones suas naturales, ac si existeret in proprio supposito. Et virtus operatiua accidentiū perinde agit, siue sint in subiecto connaturali & conuenienti, vt calor in igne siue in disconuenienti, vt calor in aqua; siue extra omne subiectum, vt accidentia Eucharistica. Sic igitur omnipotentia diuina, si per locum intrinsecum non esset in tribus suppositis, aut careret omni hypostasi sibi connaturali, & sine illa maneret integra, perinde creare & operari posset. Quare creatio ex vi sua non postulat per se tria supposita diuina.

37. *Ruis.* *Effectiones diuinæ non sunt exemplar creaturarum, neque ab ipsis presupponuntur per se.* Secundo, Didacus Ruis disp. illa CXI. sect. 2 num. 1. affirmat diuinas processionis esse causam exemplarem processionis creaturarum, tanquam aliquid primum & perfectissimum in genere processionis, quod est mensura cæterorum sui generis. Peculiariter autem processionem Verbi esse causam exemplarem quarumque processionum intellectualium: & processionem Spiritus S. quarumque emanationum per voluntatem. Et hoc affirmat à nemine negari. Deinde addit num. 5. & 6. personas Verbi & Spiritus S. per se & formaliter requiri, in genere scilicet causæ efficientis, & non tantum exemplaris, ad creandum, quatenus personalis quidditas Verbi terminat intellectionem. Vnde fit vt Pater sine Verbo non possit esse loquens, neque dicere vel mandare vt res fiant. Personalis verò quidditas Spiritus S. sic terminat diuinum amorem, vt Deus spirator non possit esse completæ atque perfectæ donator respectu creaturarum, nisi producendo Spiritum sanctum.

Tomus I.

Ad quod probandum adducit sect. 3. & sequentibus, testimonia Scripturæ, & Patrum, affirmantium Deum omnia creare per Verbum, & per Spiritum sanctum. Ex quibus difficilius ea sunt, quæ significant non potuisse sine illis creare, & per illos, vt per virtutem creandi, omnia fecisse. Cuiusmodi sunt quæ sequuntur: Athanasius orat. 3. contra Arianos prope initium, *Si non sit Filius, quomodo Deus creator esse dici poterit? siquidem per Verbum in sapientia omnia fiunt, sine quo nihil fieri poterit.* Et circa medium: *Creaturas certè impossibile erat sine Verbo fieri. Vt enim lux radiis suis omnia illuminat, & sine eius radiis nihil illuminari quiverit: ita quoque Pater, veluti per manum, in Verbo suo operatus est omnia, & sine illo nihil facit.* Basil. lib. 5. contra Eunom. prope medium, *Qui Filium tollit, is creationis omnium principium abstulit. Principium enim est substantiæ omnium Dei Verbum, per quod omnia facta sunt. Qui Spiritum auferit, perfectionem eorum, quæ sunt, abscindit. Nam quæ sunt, emissionem & participationem Spiritus sunt. Nimirum iuxta illud Iudic. 16. Dixisti, & facta sunt: missisti spiritum tuum, & creata sunt.* Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 135. in fine, *Quomodo seorsum (v. ita dicam) ac solus absque Filio Pater operabitur: cum virtus diuina quæ operatur, sit Filius? Et lib. 1. Theophrasti cap. 1. longè ante medium, Quomodo sol nunquam sine splendore ac luce sua lucere poterit: sic nihil unquam operabitur Pater, nisi per Verbum suum. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Iacò & dextera, & brachium Dei nominatur, quia quasi per manum, omnia Deus per ipsum operatur.* Augustinus lib. 2. de Genesi ad lit. cap. 6. post medium, *Quia ergo nihil creare posset, &c. cuius creandi ratio (si tamen ratio rectè dicitur) non in Dei Verbo Patri coeterno, coeternæ vitæ vniuersæ: proprieque Scripturæ, priusquam insinuet vnamquamque creaturam, eo ordine quo conditam dicit, respicit ad Dei Verbum: prius ponens, Et dixit Deus fiat illud. Non enim inuenit illa causam rei creandæ, quam in Verbo Dei non inuenit creati debuisse.* Damascenus denique in epistola de Trifagio prope med. Verbum & Spiritum sanctum appellat, *virtutes subsistentes Patri.* Argumentatur etiam Ruis hæc ratione sect. 6. numero 8. *Nullus artifex operari potest exterioris, nisi prius eliciat immanentes operationes intellectus & voluntatis, ex quibus procedant operationes transeuntes. Sed Verbum & Spiritus sanctus, sunt operationes immanentes, quasi in facto esse subsistentes: ergo &c.*

Sed his omnibus oppositio primò consensus communem Theologorum vulgò contrarium sentientium, vt accipit emet Cunigahac loco supra citato. Nominatim verò nobiliter sentiunt D. Thom. q. 45. art. 6. in fine.

E E e.

38.

Athanas.

Basil.

Cyrril.

August.

Damasc.

39.

D. Thom.



Magist.  
Scot.  
Durand.  
Caietan.  
Molina.  
Vasq.  
Suar.

corporis, Magister in 2. dist. 13. cap. *Hic  
quæri solet*; & cap. ult. Scot. quodlib. 8.  
art. 1. in fine, Durand. in 1. dist. 29. sub  
finem; Caietan. Bañes & alij Thomistæ ad  
art. cit. D. Thomæ, Molina & Vasq. ibi-  
dem; & disp. 152. num. 5. Suar. lib. 1. d.  
Trinit. cap. 11. & alij Recentiores.

40.

Oppono secundò sanctos Patres discretè  
affirmantes Patrem non esse usum auxilio Fi-  
lij ad creandum. Et Patrem non habere opus  
auxilio Filij; neque Filium auxilio Spiritus  
sancti, vel auxilio Patris: vt aiunt Basil. lib.  
de Spiritu S. cap. 8. paulo post med. & cap.  
16. multò ante medium, & Chrysostr. ho-  
mil. 2. in epist. ad Hebræos ferè initio, cu-  
ius verba hæc sunt: *Per quem fecit & secu-  
lū; non tanquam per aliquod instrumentum, nec  
tanquam facere non possit. si ei non porrexisset  
dexteram Patris.*

Basil.

Chrysostr.

Tertiò dico, Deum quidem posse vi pro-  
cessionibus diuinis vt causa exemplari,  
tum generatim omnium productionum ad  
extra: tum speciatim easum quæ sunt ab in-  
tellectu & voluntate creatæ, propter ali-  
quam licet valde imperfectam similitudi-  
nem quam cum illis habent. Veruntamen  
creaturas, & earum creationem, non per se  
postulare huiusmodi causam exemplarem:  
sed illis sufficere quòd Deus in sua cogniti-  
one practica & essentiali de rebus, vt à se fieri  
possunt, habeat exemplar sufficiens ad illas  
producendas.

Quartò dico, creaturas procedere à Deo,  
vt dicente seu mandante vt sint, & vt vo-  
lente seu donante illis esse, non formaliter  
per dicere & velle notionale, quæ tale; vel  
per actus intelligentiæ & voluntatis, vt ter-  
minatos ad personas Filij & Spiritus sancti,  
tanquam terminos secunditatis ipsorum:  
hoc enim per se non requiritur ad dirigen-  
dam & applicandam omnipotentiam vt ope-  
retur: sed per intelligere & velle essentiali-  
ter commune tribus personis, cum libera  
habitudine voluntatis, ad creaturas quas Deus  
vult producere. Et hæc sufficiunt vt Deus  
mandet, & dicat, respectu creaturarum,  
sicut perfectè donator in genere causæ effi-  
cientis per se necessariè ad earum creatio-  
nem.

42.

Soluuntur  
arguuntur  
contra  
sententiam.

Quintò, ad Scripturæ & Patrum testimo-  
nia generalia respondeo primò, Deum, aut  
Patrem, dici creare omnia per Verbum, &  
per Spiritum sanctum: quia licet tres perso-  
ne creent simul immediate & æqualiter per  
omnipotentiam eandem numero, illis om-  
nibus communem: tamen illa est in Patre  
per se, & non ab alio; quæ de causa Patri  
specialiter tribuitur omnipotentia, & creatio.  
In Symbolo Apostolorum, & Nicæno.  
In Filio autem, & Spiritu sancto, est per  
communicationem, vt accepta à Patre vi  
suarum processionum. Vnde Filius & Spi-  
ritus S. habent omnipotentiam omni subor-  
dinatione quadam originis ad Patrem, qui  
idcirco dicitur per illos creare, tanquam si-  
bi subordinatos originaliter quoad virtu-

tem creandi, & consequenter quoad illius  
usum, & quoad reliquæ quæ continentur ex  
omnipotentia.

Respondeo secundò, Deum aut Patrem  
dici creare per Filium & Spiritum S. in sen-  
su appropriatio: quatenus creat per actum  
intellectus, qui appropriatiuè tribuitur Fi-  
lio, eò quòd procedit per viam intellectu-  
easq; de causa dicitur sapietia genita, & idea,  
exemplar, & ratio cuiuslibet operis; & per  
actum voluntatis, qui specialiter tribuitur  
Spiritui sancto, eò quòd procedit per viam  
voluntatis. Ita tamen vt hæc personæ sint  
causa creaturarum, non per sua notionalia,  
sed in quantum includunt essentialia attri-  
buta intellectus & voluntatis. Quam res-  
ponsum sum ex D. Thomæ q. 45. art. 6. in corp.  
vbi sic habet: *Deus est causa rerum per suum intellectum & voluntatem, sicut artifex, rerum artificiarum. Artifex autem per verbum in intellectu conceptum, & per amorem suæ voluntatis ad aliquid relatum operatur. Vnde & Deus Pater operatur est creaturam per suum Verbum, quod est Filius; & per suum amorem qui est Spiritus sanctus. Et secundum hoc processionem personarum sunt rationes productionis creaturarum, in quantum includunt essentialia attributa, quæ sunt scientia & voluntas. Hucusque S. Thomas.*

Respondeo tertio speciatim, loca seclata  
sumpta in rigore nimis probare, & Aduersari-  
cipi nocere, qui sect. 8. num. 8. respon-  
dens huic argumento pro nostra sententia,  
Ad producendas creaturas sufficit diuina sa-  
pientia dirigendo, & diuina volitio siue a-  
mor impellendo seu liberè determinando,  
necnon omnipotentia exequendo. Sed ista  
perfectè conueniunt Patri prius ratione,  
quam generet Filium, & Spiritum sanctum  
sacrum. Ergo Deus creare possit, licet  
fuisset vnica tanquam persona. Respondens,  
inquam, huic argumento, concedit ad pro-  
ducendas creaturas sufficere prædicta attri-  
buta in ratione causæ integræ atque com-  
pletæ. Sed ait non sufficere in ratione  
conditionis sine qua non, siue applicatio-  
nis ad operandum. Nam in hoc genere requi-  
runtur Verbum & Spiritus sanctus, id est,  
requiruntur non vt virtus producendi, &  
in ratione causæ, quæ sine illis est integræ  
& perfectæ; sed tantum vt conditio sine qua  
non. Atqui loca illa Patrum in rigore  
sumpta significant requiri vt causam, &  
vt virtutem. Hoc enim sonant verba illa  
Athanasi, *Per verbum omnia sunt. Et vult  
per manum in verbo suo operatus est omnia. Et  
illa Basilij, Principium substantiæ omnium  
est Verbum Dei. Et illa Cyrilli, Virtus  
eius, quæ operatur, est Filius. Idemque sibi  
vult comparatio solis & lucis ab eodem al-  
lata. Et id quod ait Augustinus Verbum  
esse rationem operandi, & causam rei crean-  
dæ in eo inueniri: in ratione illa scilicet.  
Ac denique Damascen. Verbum & Spiritum  
sanctum appellat, virtutes subsistentes*



SECTIO V.

An Deus solus sit causa rerum omnium extra se existentium?

**H**æc quaestio proponitur ad refutandum errorem Gabrielis in 1. dist. 1. q. 1. art. 3. dub. 3. littera L. & M. ubi ait, videri sibi valde probabile creaturas nihil agere, sed Deum solum omnia operari. Et proprie loquendo, nullum effectum produci de potentia materiae; sed omnem effectum verè, & proprie, immediate à solo Deo creari: causam verò secundam se habere tantum vt causam sine qua non, id est, velut conditionem, quâ posita, Deus operatur: & quâ non posita, non operatur. Ac denique solum apud primam causam esse verè & proprie causalitatem: quia ipsa sola est, quæ actu suæ voluntatis proprie & verè producit rem de non esse ad esse. Et hæc imaginatio, inquit, magni facit potentiam actus in Deo: quia ponit solum Deum omnem effectum positivum secundum se, & quodlibet sui, causare principaliter & proprie, per actum proprium suæ liberæ voluntatis, creaturam verò tantum concurrere ex diuinæ voluntatis determinatione tanquam causam sine qua non, modo supra exposito: id est, vt paulo ante dixi, quia Deus libera sua voluntate determinavit ad presentiam, seu positionem talis creaturæ producere aliam, in quam solus ipse physice influat.

Quæ doctrina primò repugnat Scripturæ, tribuenti pluribus locis vim agendi & actionem creaturis. Quod cum tam frequenter affirmet, neque vsquam contrarium significet, omnino nos in errorem induceret, aut in errore confirmaret, nisi id verum esset. Huiusmodi loca sunt Genes. I. v. 11. *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum &c. Et protulit terra herbam virentem & facientem semen &c. Et v. 20. Producant aque reptile animæ viuentis &c. Et Sapient. 26. v. 23. ignis non comburens Israëlitas dicitur esse oblitus suæ virtutis. & Marci 4. Terra fructificat primum herbam virentem, deinde spicam &c. Et Luc. 21. v. 29. Videte ficulnam & omnes arbores cum iam producant ex se fructus. Et denique vix vltimum est caput Scripturæ, in quo non tribuatur creaturis aliqua operatio, intelligendi, volendi, loquendi, generandi vel exequendi aliquid aliud.*

Repugnat secundò sanctis Patribus, vt Basilio Comil. 5. Hexamer. & Ambrosio lib. 3. Hexameron cap. 8. colligentibus ex cap. 1. Genes. v. 11. *Germinet terra &c. plantas accepisse à Deo in semine vel in radicibus, virtutem quandam propagatiuam.*

E E e

Patris. At mera conditio ad agendum necessaria, non est virtus agendi. Adde quod non apparet, neque ostenditur à Didaco Ruis, quomodo intelligentia eius quod faciendum est, & voluntas efficax illud faciendi, non sufficiant ad applicandam hanc potentiam ad opus exequendum: sed requiratur necessariò Verbum & Spiritus S. in ratione conditionis sine qua non, siue applicationis ad operandum.

Dico igitur loca illa, non in rigore vt sonant, sed benigne explicanda esse. Nempe quod velint Patrem omnia creare per Verbum, & per Spiritum S. modis superioribus explicatis; id est, per omnipotentiam à se in illos deriuatam, & per intelligentiam ad voluntatem, illis specialiter & appropriatè attributam ratione suæ originis. Cum autem dicunt non potuisse sine illis creare: intellige, sine attributis intelligentiæ, voluntatis, & omnipotentia illis communicatis, & Quidem prius ex parte subiecti, siue ordine necessitatis, quam liberè operatur extra. Quæ communicatio si non esset: reuera neque esset intelligentia, voluntas, & omnipotentia diuina. Quia non esset essentia diuina, quæ nequit esse nisi sit infinite simpliciter perfecta: & non esset talis, nisi esset communicabilis, ac necessariò communicata tribus personis. Vel etiam quia sapientia diuina, per quam Deus omnia creauit, reuera non posset existere, nisi subsisteret in Verbo tanquam in termino suæ existentia, per ipsam vt secundam producto. Et amor diuinus similiter non posset existere, nisi subsisteret in Spiritu sancto, tanquam in termino suæ existentia, producto per ipsum: vt ait idem author numero proximè citato. Quod si aliqui Patrum plus intendunt probare contra hæreticos: recolendum est id quod à bi notauimus cum Cornelio à Lapide, canone 1. in Paulum, ipsos interdum disputando contra hæreticos, declinasse aliquantulum ad alterum extremum. Aliquando etiam multa dicunt contra illos argumentando ad hominem, ex principijs ipsorum proprijs, licet non veris.

Ad vltimum Ruis argumentum, sumptum ex ratione, Respondeo artificem non posse operari exterius, nisi prius eliciat operationes immanentes intellectus & voluntatis, necessarias ad opus externum exequendum: cuiusmodi sunt cognitio operis faciendi, & volitio efficax applicans potentiam executiuam. At processiones personales non sunt tales actus in Deo. Sufficiuntque illi, & tantum per se requiruntur ad creandum, cognitio essentialis practica, siue idea creaturæ producendæ, & voluntas efficax applicans diuinam omnipotentiam ad creandum: Sicut artificis creato sufficiunt cognitio & voluntas efficax operis faciendi, vt applicet potentiam ad illud exequendum.

47. Gabrielis error.

48. Creaturas agere probatur ex Script.

49. Basil. Ambros.

Disp. 8. num. 9.

46.



dem probatur ex  
Patri. &  
Concilijs

August.

Thom.

30.

VI. Synod.

Trident.

31.

Probat. ratione.

32.

eo sine, vt cum planta indiuidua intereat, maneat tamen in semine, & fructu, quem ex se propagant: & ita quendam velut immortalitatem & aternitatem, quam naturaliter ambiunt, consequantur, vt scilicet semper sint, & semper durent in sua propagatione. Ex D. Augustino lib. 7. de ciuit. cap. 30. aienti Deum sic omnia quae creauit administrare, vt etiam ipsa proprios exercere & agere motus linat. Et lib. 3. de Trinit. cap. 7. 8. & 9. ubi affirmat indidisse Deum elementis & alijs causis creatis sententiarum rationes. Quem locum citat, & luculenter exponit S. Thom. q. 115. art. 2. in corp. dicens, Augustinum per rationes feminales intelligere virtutes actiuas & passiuas, quae sunt principaliter, id est, minister, & originaliter, in ipso Deo, formaliter vero sunt in elementis & in alijs creaturis, quibus a Deo sunt indita.

Repugnat tertio Concilijs: vt Synodo VI. Generali act. 4. definienti duas esse in Christo voluntates, & duas operationes, diuinam & humanam. Et Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 4. anathematizanti eum qui dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti: & vult in aeternum quodam, nihil omnino agere, nec reque passiuè se habere. Et can. 32. anathematizat eum qui dixerit hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, vt non sint bona ipsius iustificati merita, nisi ipsum iustificatum, bonis operibus quae ab eo per Dei gratiam fiunt, non verè mereri. Et denique can. 6. execrat eum qui dixerit non esse in potestate hominis vias suas saluas facere.

Quarto, repugnat rationibus Theologicis. Nam in te sequeretur Deum inutiliter & insipienter, quod absit, præcipere hominibus bona opera, & prohibere mala: nisi ipsi possent bona & male operari. Item sequeretur Deum solum, & non demones, ad mala opera sollicitare, & esse auctorem peccati. Imò solum causam blasphemiarum, sacrilegiorum, incestuum, parricidiorum, & scelerum omnium quae fiunt; prohibereque simulacriè, aut per summam inconstantiam & contradictionem, mala opera, quae ipse vult facere, ac solus facere: & dampnare reprobos aeternis supplicijs propter opera, quae non ipsi reprobi, sed Deus solus operatus est. Quo nihil potest dici magis blasphemum & impium: Neque adhuc vel Calvinus, vel vllus alius haereticorum, eo vsque desipuit.

Quinto, repugnat Philosophia & rationi naturali, imò & ipsi experientia, quanta de rebus naturalibus haberi potest. Experimur enim nos ipsos intelligere, velle, sentire, loqui, & alia multa praestare, atque ex vitali applicatione ad vniuersum, impediri vim ad aliud. Experimur etiam solem illuminare, ignem calefacere, aquam humectare, & alia ab alijs constanter produci. Inep-

rum enim est dicere, hæc solum fieri a Deo ad praesentiam talium rerum. Primo, quia non est Philosophi ad Deum recurrere, si ex rebus ipsis naturalibus, ratio reddi potest, cur hæc fiant. Atqui potest in praedictis effectibus: cum aliunde non sit cur eorum productio superet vim causarum secundarum. Quod addo, ne quis obijciat exemplum animæ rationalis, quæ constanter producit, ad praesentiam embryonis, rectè dispositi, æquè ac lux ad praesentiam solis: & tamen a solo Deo producit. Nam aliunde habemus ex fide & ratione naturali, animam rationalem, vt pote spiritum immortalem & ineducibilem à materia, non posse fieri nisi a solo Deo. Cuius opus positum de luce & similibus habetur. Quare embriò & dispositiones se habent ad productionem animæ rationalis, vt conditio tantum sine qua Deus non vult eam creare. Quia non vult eam producere & primò ponere in esse, nisi in statu sibi conaturali, qui est status informationis. Quamuis post mortem hominis eam conferret extra corpus, eadem actione qua creauit: posteaque eadem actione & non maiori conatu primò producere, & creare extra corpus, si vellent. Secundo, si Deus solus agit illos effectus ad praesentiam rerum illarum: non potest reddi ratio, cur non producat albedinem ad praesentiam albedinis, & Angelum ad praesentiam Angeli: æquè ac calorem ad praesentiam caloris aut ignis. Neque enim responderi potest rationem esse, quia non producit effectus nisi ad praesentiam rerum habentium substantiam, vel qualitatem, similem illi quæ producit. Tum quia albedo est æquè similis albedini, & Angelus Angelo: atque est ignis igitur calor, lumen lumini. Tum etiam quia ratio illa falsa est de causis æquiuocis, id est, de iis ad quarum praesentiam videmus produci effectus illis dissimiles. Tertio, si creatura non agitur: ad quid tot organa viuentium, tam apta ad certos effectus? Imò ruet distinctio viuentium à non viuentibus, quæ maxime consistit in principio interno, & modo operandi, diuersa à non viuentibus. Quarto, maior est perfectio Dei si non modo possit ipse agere; sed etiam virtutem agendi creaturis communicare.

Nec obest quod obijci Gabriel, Deum solum praestare posse omnia, quæ faciunt creaturam. Primò enim, non puto hoc esse verum de actibus vtalibus adacquarè sumptis: ac nullo modo de illis qui sunt intrinsecè mali, vt odium Dei, contemptus virtutis, & similes, quos Deo soli tribuere impium & blasphemum est. Secundo, quamuis ita esset; id non impedit, quò minus Deus vim operandi creaturis communicare potuerit ad effectus sibi proportionatos: quam vim exercent ipso liberè concurrente, & ea



rum naturis ac virtutibus se suauiter accommodant. Neque verò tanti operis est educere aliquid ex subiecto præsupposito, vt debeat cenferi excedere omnem facultatem creaturarum, ita vt illis communicari nequiverit.

54. Non obest etiam quòd Scriptura interdum Deo tribuit ea quæ dicimus fieri à creaturis: vt educere ventos de thesauris eorum,

dare pluuias de cælo, vestire præterea coagulare sctum in vtero, ac denique omnia in omnibus operari, vt dicitur 1. Cor. 1. Hoc enim idè dicitur, quia nihil fit à creaturis, quod non fiat etiam à Deo immediate conueniente, vt prima & vniuersali causa, ad omnes & quoscunque effectus causarum secundarum, vt ostendimus disputat. 34. seq. 2.

DISPUTATIO TRIGESIMA TERTIA.

De principio durationis creaturarum, & primarum rerum productione.

- Sectio I. An Deus ab æterno aliquid creauerit, vel creare potuerit?
- Sectio II. Quònam ordine Deus Vniuersum creauerit?
- Sectio III. Resumat contraria sententia.
- Sectio IV. Soluuntur duæ difficultates circa successionem & ordinem creationis.



MATERIAM huius disput. fusissimè tractat S. Thomas, partim quæst. 46. vbi docet mundum non semper fuisse; quamuis esse potuerit, si Deus ab æterno creare voluisset; neque demonstratiuè vlla ratione oppositum probari possit: sed per fidem, & reuelationem diuinam habetur fuisse creatum in principio temporis, vt habetur Genes. 1. Partim etiam quæst. 63. & nouem consequentibus, in quibus prolixè disserit de creatione nature corporeæ, & de opere sex dierum, tam in comuni, quàm in particulari de singulis operibus, quæ vnicuique diei assignantur à Moyses, capite citato. Quæ omnia breuiter sequentibus sectionibus comprehenduntur, & omissis facillioribus, atque in textu ipso D. Thomæ perspicuis, ea quæ habent aliquid difficultatis elucidabuntur.

SECTIO I.

An Deus a seculo ab æterno creauerit, vel creare potuerit?



Væcunque alia præter Deum existunt, fuisse producta in tempore post ipsorum non-existentiam, ita vt Deus solus ab æterno existeret, & duratione infinita creaturam omnem præcesserit, docet S. Thom. tota q. 46. estque de fide, vt patet primò ex Scriptura Genes. 1. vbi narratur Vniuersi molitio, & prima rerum creaturarum productio non ab æterno, sed paucis diebus ante Adamum, cuius vita finitorum annorum, nempe nonagntorum & triginta habetur ex Genes. 5. v. 5. & ab illo ad Christum gener-

tionem finita Luc. 3. à v. 23. Item Pro. 8. v. 22. clarè significatur nihil fuisse factum ab æterno, quando Sapientia increata sic loquitur: Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret in principio, antequam terra fieret &c. Et Ephes. 1. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti.

Patet secundò ex Concilijs, Lateranensi cap. Firmi in professione fidei, quæ sic habet: Deus ab initio temporis simul vtramque de nihilo condidit creaturam spiritalem & corpoream &c. Et in VI. Synodo Generali, actione XI, in professione fidei Sophronij, quæ approbatur actione 13. sic habetur: De principio visibilis mundi constitutione fateor, quòd omnia non tantum visibilia, sed & inuisibilia vnus Deus condidit, illa sempiterna natura qua nescit exordium; & ex non-existentibus protulit vt esserent, principium omnibus temporale constituens.

E E e